Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35998
Copyright: Melk, Benediktinerstift

puelle Noli timere tantum crede et salua erit Et cum
venisset ad domum principis non admisit quemquam
se sequi nisi petrum et iacobum et iohannem fratrem iacobi.
Et uidit tumultum et flentes et eulantes multum
et tibicines Flebat autem omnis et plangebant illam
Et ille dixit Nolite flere Quid turbamini et plo-
ratis Recedite Non enim mortua puella sed dor-
mit Et deridebant eum scientes quia mortua est.
Ipse uero eiectis turbis assumit patrem et matrem
puelle qui secum erat et ingreditur ubi puella erat
iacens et manum puelle tenens clamauit et ait
illi Tabita cumi quod est interpretatum puella tibi dico
surge Et continuo surrexit puella et ambulabat Et iussit illi dari manducare Et
obstupuerunt stupore magno pentes eius Cui
precepit ne cui dicerent quod factum nemo
illud sciret Et exiit fama hec in uniuersam terram.
Et egressus inde abiit in patriam suam et sequebantur
eum discipuli eius.

Et transeunte inde ihesu secuti sunt
eum duo ceci clamantes miserere nobis fili dauid
Cum autem uenisset domum accesserunt ad eum ceci.
Et dixit eis ihesus Creditis quia hoc possum facere
uobis Dicunt ei Vtique domine Tunc tetigit oculos eorum
dicens Secundum fidem uestram fiat uobis Et aperti sunt oculi
eorum Et commonuit illis ihesus dicens Videte ne
quis sciat Illi autem exeuntes diffamauerunt illum
per totam terram illam Egressis autem illis ecce obtulerunt
illi homines multum demonium habentem Et eiecto